

pro Bosna, quod fere post duo saecula ibidem introduci conabitur.

Etenim, viva adhuc manente in mentibus PP. Purpuratorum impressione controversiae fratrum provinciae Bosnae Argentinae, ecce venit alia lamentatio ex Bulgaria. Episcopus Sophiensis conquaeritur de Franciscanis Bulgariae, quod ei debitam reverentiam non exhibeant, quod ad independentiam tendant, praesertim circa approbationem, exercitium curae animarum.⁸¹ Hac re Cardinales indignati eodem anno 1660 decernunt supplicandum Sanctissimo, ut omnia eorum privilegia per Breve particulare supprimantur, et decreta Tridentini atque Constitutionum Apostolicarum texative explicentur.⁸² Et revera in eadem sessione diei 23 Februarii praeparatum erat decretum mordacis tenoris, in quo S. Congregatio protestatur se velle in dioecesi bosnensi et archidioecesi sophiensi »ut eorum populorum regimen ad sacrorum canonum praescriptum dirigatur«, ideoque velle »canones, Constitutiones et decreta huiusmodi innovare, ac in usum, et observantiam inducere«.⁸³

Deinde sequuntur octo puncta in quibus praecipue insistit S. Congregatio: 1) quia cura pastoralis omnino episcopi auctoritati subjacet, ideo nullatenus in eam religiosi quoquo modo se ingerant sine ejus consensu, neque sine ejus praevia licentia, examine et approbatione cuiquam religioso parochia conferatur;⁸⁴ 2) liceat episcopo sic constitutos »ex justa causa remove« et alium in ejus locum subrogare, donec alius a Provinciali, fuerit praesentatus, ab

⁸¹ »E se bene alcuni di questi non ardiscono di dire apertamente che l'Arcivescovo non ha da fare niente con essi, lo dicono almeno in segreto e molto più in fatti usurpandosi pian-piano il Jus totale in alcune cose particolarmente circa l'approvazione et esercizio della cura« *Archivum Prop.*, Acta, 1660, v. 27, f. 61v. ss.

⁸² »Quoad inobedientiam fratrum, cum hoc malum sit commune in omnibus iis locis ubi ex defectu clericorum saecularium exercent munia parochialia, supplicetur Sanctissimo ut per Breve particulare omnia eorum praesentia privilegia expresse revocet« *Archivum Prop.*, Acta, 1660, v. 29, f. 65r.

⁸³ Jelenić, Izvori, 10—11.

⁸⁴ Haec decisio nihil novi pro Bosna et Hercegovina, ubi jam decreta de a. 1618, 1624, 1635, 1645, 1658, existebant.